



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione  
Excerptæ

**Sargar, Elisaeus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

De Necessitate Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41194**



io te baptizo col Patre col Filio, & conlo Spirito  
 santo: id est, Ego te baptizo cum Patre, cum  
 Filio & cum Spiritu sancto, quæritur, an va-  
 lide baptizant, comitolo videtur, quod sic,  
 quia, inquit, Patres & Conolia plus non re-  
 quirunt quam ut in Baptismo invocentur tres  
 personæ divinæ. Verum

35. Respondendum esse videtur, mulierem il-  
 lam invalide baptizasse. Ratio est, quia cum  
 Baptismus sit in via fidei, debet per ipsius for-  
 mam fidei protestatio significari: fides autem  
 in hoc consistit, quod credamus tres personas  
 æquales in una natura & substantia: quæ uni-  
 tas non exprimitur per particulam *cum*: *Igitur*  
*&c.*

### CONFERENTIA XIII.

36. Jacobus Marchantius in Resol. pastoralibus  
 de Sacram refert, Sacerdotem lingua impedi-  
 tum sic baptizasse, *Ego te baptizo in nomine Pa-  
 tris & Filii & Spiritus sancti. An valide? R.*  
*cum ipso quod valide. Ratio est: quia tunc*  
*exurgit sensus idem, eademque significatio ex*  
*huiusmodi verbis in mente audientium, qui*  
*soliti erant eum audire, qui nascitur ex forma*  
*ordinaria.*

### De necessitate Baptismi.

### CONFERENTIA XIV.

37. Catechumenus ante Baptismum actualiter  
 susceptum rapitur ad Martyrium, per mi-  
 raculum



faculum tamen manet superstes: quæritur ergo an teneatur nihilominus postea baptizari, ratio dubitanda est, quia per Martyrium fuit baptizatus Baptismo sanguinis, adeoque justificatus.

**RESOLUTIO :** Catechumenus Martyrio superstes habens opportunitatem accipiendi Baptismum fluminis, tenetur illum adhibere sub peccato mortali. Ratio est: quia unusquisque tenetur ad assumenda media necessaria ad salutem, qui eorum necessitatem novit, habetque occasionem ea adhibendi: sed Baptismus fluminis est medium necessarium ad salutem ex illo Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei:* Et Catechumenus id novit, habetque ut supponitur, opportunitatem. Igitur &c.

Dices, Catechumenum jam esse justificatum per Baptismum sanguinis: igitur non indiget amplius Baptismo fluminis. *ꝛ. Dist. antecedens, si habuerit votum Baptismi fluminis, conc. si non, neg. antecedens & conseq. tenetur enim satisfacere voto. Instabis: Infans in odium Christi occisus salvatur, qui tamen non habet votum Baptismi: Igitur & catechumenus per martyrium justificatur absque tali voto. ꝛ. Neg. conseq. & parit. Ratio disparitatis est, quia infans est incapax voto, capax autem Catechumenus, illi itaque sufficit Martyrium sine voto Baptismi fluminis, non item huic. Con-*



## CONFERENCE. XV

89. **A**liqui parentes solent diu differre baptismum parvulorum suorum, an peccent?  
 R. Eos sine dubio peccare graviter, si id faciant absque iusta causa. Ratio est: quia quisque tenetur sibi commissis providere de remedio salutis quamprimum commode potest, praesertim si subiecti sint & expositi periculo mortis: parvuli autem ut plurimum infirmitatibus subiecti sunt, adeoque periculo mortis & aeternae damnationis, igitur &c.

Dixi autem *absque iusta causa*, si enim iusta causa adsit differendi solemne Baptismum, ut fieri consuevit apud Magnates expectantes Compates suos aliunde venturos, eo casu non oportet privatim baptizare infantem (nisi periculum suadeat) & intermissas ceremonias postea adhibere, id namque sola necessitate urgente conceditur; ut proinde melius sit per aliquot septimanas Baptismum differre, quam ceremonias omittere, & statim baptizare. Ita docent V. Baptismus, Angelus & Armilla. Similiter volens baptizari adultus non peccat, si aliquantulum differat baptismum recipere, ut interea possit debite catechizari, nec ille, qui moratur in medio Infidelium aut Judaeorum, inter quos est periculum subversionis post baptismum, nisi praevideatur postea defutura occasio tunc enim magis animae salus, quam periculum reditus ad Infidelitatem curanda est.

CON-